

DE
CARCINOMATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE
OBSTETRICIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE I IULII ANNI MDCCCXXXV

PUBLICICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

IOANNES HENRICUS KASPER

RÜTIENSI-TIGURINUS.

TURICI

TYPIS ORELLII FUESSLINI ET SOCIORUM

MDCCCXXXV.

CAROLINA

UNIVERSITY OF THE SOUTH

OF THE STATE OF CAROLINA

GRADUATE MEDICAL SCHOOL

1914

CERTIFICATE OF ADMISSION

TO

THE MEDICAL DEPARTMENT

OF THE UNIVERSITY OF THE SOUTH

STATE COLLEGE

SAVANNAH, GEORGIA

THIS DAY OF

1914

WAS ADMITTED

TO THE

CLASS

OF THE MEDICAL DEPARTMENT

OF THE

VIRO CLARISSIMO, EXPERIENTISSIMO

I. STAUB,

MEDICINAE DOCTORI, HOMBRECHTICONENSI

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO, ILL.

1911

PRAEFATIO.

Morem huius aetatis, ex quo litterariis operibus praefationes praemitti solent, propterea secutus sum, ne, quum omnino mores et consuetudines novae summi aestimentur, solus eas negligere et ab initio statim peccare videar. Praefationibus autem quum plerumque id spectetur, ut ipsius libri virtutes eodem modo, quo mercatores peregrinantes merces suas vehementer commendant, laudentur ac celebrentur, equidem ideo tantum praefatus sum, ut, quod me ad hunc libellum edendum permoverit, exponerem et cur hoc de carcinomate thema mihi elegerim, explicarem. Qua in re non possum, quin fatear, ni ad adipiscendos doctoris medicinae honores commentatio scribenda fuisset, me a scribendo tamdiu mihi temperaturum fuisse, donec me eo naturae cognitioni et arti medicae aliquid profuturum esse persuasus fuisset. Etenim quomodo tandem tam brevi studiorum meorum temporis spatio artis medicae tam late patentis parti alicui singulae studere potuissem ita, ut in ea aliquid praeclari proficerem? — De carcino-

mate vero idcirco scripsi, ut pluribus libris, de eo scriptis, comparatis, systematice agerem, ita diagnosis et aetiologyam stabilirem et inde therapiam rationalem constituerem. Quodsi etiam hic libellus immaturus et mancus appareat, tamen lectorem clementem primi mei aliquid litteris mandandi conaminis bonum, quod semper mihi obversabatur, consilium respecturum esse certissime confido.

Praeceptoribus autem dilectissimis, qui in studiis celandis praecipue me adiuverunt, gratias quam maximas ago.

Confusi et conturbati illius, quem carcinomatis nomine insigniverunt, morbi iam antiquissimis quibusque melioribus artis medicae annalibus mentio fit. Quamvis vero nulla pathologiae pars scriptis magis quam carcinoma abundet, tamen nulla tam caecis tenebris obducta iacet; quod quasi ipsum canceri nomen effecisse videtur. Alii enim illud malum degenerationem inflammationis, alii degenerationem nonnisi topicam esse, alii denique universalem vitiosam constitutionem eo cerni censuerunt. Fuerunt etiam multi, qui cancerum viderent, ubi nullus erat; inter quos clarus quidam vir artis obstetriciae peritus aquam laurocerasi efficax contra cancerum uteri remedium esse dicebat et eo adhibito carcinomatosam cervicem uteri decidisse et denuo normaliter crevisse affirmabat. — Ex quo perplexo de carcinomate iudicio magna remediorum et specificorum, quae commendata sunt, copia explicari potest, quae vero, quum saepius hominibus imperitis, praecipue veterinariis, obstetricibus, tonsoribus, carnificibus eorumque adeo uxoribus permissa ad hunc usque diem multum nocuerunt. Quare optandum est, ut gravis illa res pathologica eorum, qui nonnisi empiria nituntur, manibus eripiat eorumque natura et causa penitus investigetur ad rationalem therapiam condendam.

Carcinoma eam morborum familiam efficit, cui polypum carnosum, gonorrhoeae serophulas, aneurisma *), melanosin, fungum haematodem et medullarem, glandularum et glandularum simulque cutis cancrum, osteosteato- ma, osteosarcoma annuero.

Illa morborum familia ad haematosium classem refertur. Cuius quidem non singulam quandam speciem, verum illam totam in universum tractabo, ita ut carcinomatis notio- nem stabiliam, ab aliis uni morbo (cancro), ab aliis uni- cuique ulceri maligno, uteri tumori cum foetentis puris effluvio coniuncto tributam. Carcinomatis natura non uno, sed multis symptomatibus et inter vitam et inter sectionem experientia cognitis cernitur.

NATURA CARCINOMATIS.

Carcinoma duobus praecipue constat characteribus, caractere physiologico et anatomico. Illum haec consti- tuunt momenta:

I. Ut carcinoma formetur, propria quadam opus est pseudoformatione cum essentiali vita, quae varios evolu- tionis gradus percurrit. Haec sententia, quam primus Adams protulit, ab eo nimis elata esse videtur. Ille enim istam pseudoformationem proprium animal esse docebat, quod scirrhum hydatidem nominabat, et cum infimis zoo- phytis comparabat. Itaque unumquemque scirrhum genus

^a) Aneurismatis nomine quaecunque arteriae dilatatio sacci- formis intelligi solet, sanguinis circulationem impediens. Hoc vero loco eam intelligimus aneurismatis formam, quae arteriae membranis mutatis et propria quadam secretionè steatomosarum et atheromatosarum massarum cernitur, quam plerumque aneu- risma spurium vocant.

coralliorum accumulationis, magnam parvorum (varia magnitudine) hydatidibus similium animalium multitudinem continentem esse dicebat. Cuius sententiae plures quidem auctores affert, qui vero hydatides non tales esse putabant, quae morbum efficerent. Fr. Meckel autem, qui illam sententiam refellit, sibi inspectis multis partibus carcinomatosi nunquam occasionem oblatam esse dicit credendi, naturam morbi eam esse, in qua proprii organismi formetur, quamquam velamentorum formatio non raro in illis appareat. Himli quoque se in multis et variis explorationibus nunquam individualis organismi formationis vestigium invenisse enarrat. Neque Burns in cancris testiculis, mammis aliisque eius generis tumoribus aliquid detegit, quod hydatidis certo haberi poterat.

II. Haec pseudoformatio omnes partes vicinas homologas sibi reddere studet. Quod quidem carcinomatosi morbi processui proprium est, quippe qui hac ratione fermentationis processui simillimus sit, ita ut organicus fermentationis processus dici possit. Quod praecipue patet e cancro, in quo non solum formationes, sed etiam ossa assimilantur. Idem est in aneurismate, in polypo carnoso, etc.

III. Pseudoformatio deleta vel eodem vel alio remoto loco restauratur. Recentioribus observationibus pseudoformationem uno loco naturae viribus deletam, alio autem loco restitutam esse exploratum est. Pluries cancrum et polypos a natura sanatos esse observaverunt.

IV. Cum ceterorum organorum detrimento pseudoformatio nutritur. Totus enim nutritionis processus ad pseudoformationem confertur, quae se organismo quasi obtrusit, ita ut qua ratione illa formatio centralis redditur, eadem

ceteri organismi nutritio imminuatur. Inde atrophiae symptomata prodeunt, licet organon affectum ad vitam non absolute necessarium sit et chylicatio et respiratio regulari modo procedat, c. c. praecipue in metrocarcinomate, in cancro mammae.

V. Functiones organi affecti et interdum ipsorum etiam vicinorum turbatae sunt. Ita in fungo medullari retinae videnti vis tollitur, in scirrho ventriculi digestio impeditur.

VI. Turbationes vicinorum organorum vel nondum morbi processu implicitorum c. c. in aneurismate arcus aortae videmus, ubi non solum sanguinis circulatio, verum etiam eo, quod aneurisma oesophagum, tracheam et pulmones premit, horum organorum functio vario modo turbatur. In metrocarcinomate non solum vigor sensualis, sed etiam vesica prope sita et intestinum rectum, etsi haec nondum ipsa carcinomatosa reddita sunt, laborant. In narium polypo saepe non solum odoris organon laborat; premoendo enim iusta et naturalis lacrymarum excretio impediri et inde lacrymarum fistula conformari potest. Quod equidem in nosocomio Turicensi observavi.

VII. In carcinomatoso morbi processu et localis et universalis pigmenti formatio invenitur. Formatio localis est tum, ubi pigmentum anomalum in ipsa parte correpta se format, quod in variis carcinomatosis formis varium et in eadem quoque forma non semper idem apparet. In variis formis omnes coloris gradus percurrit a flavo in fuscum, caeruleum et nigrum. Eius quidem basin colorem sanguineum esse existimant. — Universalis pigmenti formatio, quam dixerunt carcinomatosa colorum commissuram (carcinomatoses Colorit), gravis est diagnostico,

quippe qui vel primo aspectu aegroti malum carcinomatosum adesse conicere possit. Sub cute enim, semper admodum rigida et aspera stratum mucii magis flavescens seceratur, quo flavus color cuti infertur, non vero ille color flavus, qui in rubrum icteri colorem transit, sed flavus cum cano mixtus color (schmutziggelb). Quod clare in cancro mammae, clarissime vero in metrocarcinomate dilucet.

Quod ad characterem carcinomatis anatomicum pertinet, pseudoformatio e duobus formationis elementis vere inter se diversis constat:

I. e tela formativa, zoogenio, quod semper in infimis formis apparet, simillimum quidem telae formativae infimorum animalium e. c. medusarum, ruallarum;

II. e vasis in tela formativa discurrentibus. Aliarum formarum magis centrale, aliarum externum periphericum vasorum systema est. Vasa autem, a primordio per se existentia, postea cum normalibus vasis coniunguntur. De formationis ratione vasorum adhuc accuratiores observationes desiderantur. Eorum tenuissimae membranae sunt, maxima cum illis inferiorum animalium similitudo, liquidissimus sanguis, qui ad foetus et inferiorum animalium formarum sanguinem prope accedit. Connexus pseudoformationis cum ea parte, in qua illa formatur, diversissimus est. Aut enim organon, in quo illa formatur, integrum adhuc est; pseudoformatio et eius sedes iuxta sese iacent; aut pseudoformatio cum damno eius organi emergit, in quo crescit.

Novissimo tempore chemicae quoque analysis scirrhorum et carcinomatosarum partium experimenta facta sunt;

ex quibus in mamma scirrhusa haec apparuerunt: albumen ovi, pinguedo propria, gluten, permultum aquae et post ustionem carbones, sales, qui organicis materiis combustis colligi solent. Propria igitur et singularia sunt albumen, pinguedo nonnisi malo odore a Gmelini pinguedine cerebri diversa, gelatina inferiorum animalium formarum admonens. Summi vero momenti esset, si variarum formarum pro variis stadiis analysis chemica institueretur, cuius eventum pro perpetua metamorphosi diversissimum fore verisimile est.

Quaecunque carcinomatosa forma, naturae permissa, tria stadia percurrit, scilicet stadium scirrhi, vasorum formationis et mortis. Quae quidem etsi in omnibus formis carcinomatosis sese excipiunt, tamen spatium per quod durant, tempus quo incipiunt, ratio denique permutationis in variis formis valde variat.

Primum stadium. Hoc tempore pseudoformatio nonnisi e zoogenio constat; cuius externa materia dura, non pellucida, instar cartilaginis fibrosae, et interna gelatinosa, semicoagulata, plerumque pellucida et alba, interdum autem turbata, flava vel subfusca massa maior vel minor discernitur.

Secundum stadium. In hoc stadio forma emollitur et amplificatur, vasa recipit, plures varicosas venas quam arterias, et a multa solidiore et flava pinguedini simili tela circumdata est; intus ulcera formantur. Hic status etiam cancer occultus nominatur. Fuerunt, qui ad vasa formanda aeris accessum necessarium esse crederent; sed plures anatomiae periti, qui formas carcinomatosas, antequam aer accedere poterat, inspiciebant, vasa manifeste deprehendebant. Eodem modo in quibusdam formis, etsi aer

accedere ad eas non potest, vasa formantur, e. c. in aneurismate aortae, in fungo matris durac.

Tertium stadium (cancer apertus). Iam pseudofor-
matio magis usque discolor et maior reddita cum foetentis
saniei profluvio rumpitur, fungo similis apparens cum fundo
duro marginibusque turgidis. Totae partes fungosae mo-
riuntur et in suppurationem transeunt, aliae succrescunt,
dum adiacentes maxime vigent. Itaque pseudoformatio non
tota, sed eius tantum singulae partes exstinguuntur.

UNIVERSI ORGANISMI PARTICIPATIO.

Universus organismus non statim ab initio carcinoma-
tosi morbi particeps est, sed postea demum, ita quidem,
ut vasorum irritatio, semper sub forma febris hecticae,
exoriatur. Vasorum reactio vel febris iam incipiens cha-
racterem torporis magnamque ad dissolutionem proclivita-
tem prodit. Ceterum febris hectica una cum illa ad disso-
lutionem proclivitate a secretionis productis, praecipue
autem ab illo carcinomatis statu pendere videtur, ubi par-
tim illud exstinguitur et a solido in liquidum transgreditur.
Haud raro e multo etiam amisso sanguine febris nascitur
e. c. in aneurismate, melanosi, metrocarcinomate etc. —
Non solum vasorum systema, verum etiam nervus morbi
carcinomatoso processus valde particeps est.

Nervus, qui ad partem a carcinomate affectam transit,
in vehemente irritatione doloribus violentis et pungentibus
insigni versatur, quae quidem non tantum mechanica vel
dynamica est, propterea quod ipsa quoque nervi illius stru-
ctura revera transmutata est. Nervus enim fit crassior, tumi-
dus, hypertrophicus. Quae vero hypertrophia in neurilemma
magis quam in ipsam nervi medullam cadere videtur, unde mala

quaedam ratio dolores istos progignens oritur. Nervi affectio non est primaria, sed secundaria (excepta ea forma, ubi nervus pseudoformationis sedes est, scilicet fungo medullari), quia primo tempore dolor nullus percipitur.

Universalem participationem nervorum systematis quaedam formae, ut metrocarcinoma et fungus medullaris sub convulsionum symptomatibus produunt.

PROPAGATIO — COMMUNICATIO.

Discernitur locus germinationis et remotiorum formarum affectio. Ille quidem plerumque circumscriptus, definitus et unicus est, etsi nonnunquam accidit, ut carcinoma variis locis simul formetur. Lex propagationis est illa secundum continuitatem functionis et spatii. — Communicatio legem physiologicae affinitatis sequitur. Carcinoma in formas heterogeneas transcendit, quarum affinitas functionis cum iis est, quae modo correptae sunt. E carcinomate mammae metrocarcinoma formatur, et contra.

AETIOLOGIA.

I. *Momenta interna.*

a) Saepenumero et in quibusdam formis hereditariam dispositionem et proclivitatem subesse, carcinoma in familiis nonnullis a parentibus ad liberos transferri, uni generationi parci, alteram denuo affici, compluribus medicis probatum quidem est; sed illam hereditariam dispositionem necessariam esse nemo contendet. Attamen ea praecipue metrocarcinomati, fungo haematodi et medullari et polypis propria esse dicitur.

b) In universum nec masculini nec feminini sexus maior ad carcinoma proclivitas est, sed magnum quoad formae distributionem momentum. Viri enim e. c. carcinomate

arteriae (aneurismate), quoniam in iis arterialis vasorum pars praevalet, feminae autem carcinomate venae (melanosi) ob venosi vasorum systematis praevalentiam frequentius laborant. Quod in mulieribus carcinoma genitalium saepius quam in virisprehenditur, inde patere videtur, quod in mulieribus genitalium gravius est momentum et maior in vitam individualement vis, quam in viris.

c) Involutionis periodum ad carcinomatosas formationes inclinari eiusque cum involutionis processu nexum causalem esse vulgo credunt. Cui equidem sententiae ad stipulari non possum, quia plures formae tam in involutionis quam in evolutionis periodo e. c. fungus medull. et haemat., osteosarcoma, paene nonnisi ante annos decrepitudinis occurrunt. Quodsi vero nihilominus carcinoma in annis involutionis frequentius conspicitur, eius rei causa non sita est in involutionis processu, sed potius in eo, quod dyscrasiae, a quibus carcinoma proficiscitur, plerumque nonnisi senioribus vitae annis vim suam nocentem exercent. Itaque etiam istae formae carcinomatosae, quarum origo a dyscrasia ad priorem vitae periodum pertinente derivanda est, e. c. dyscrasia scrophulosa, a prioribus annis petendae sunt.

II. Momenta externa.

a) Carcinomata semper a dyscrasiis in organismo saevientibus nasci experientia docet. Quarum igitur semper certe una, saepius vero plures carcinomatis causae subsunt. Quo plus autem tales dyscrasici morbi processus ad carcinomatis formationem contulerunt, eo pertinacior tam ipsa forma carcinomatosa quam eius prognosis redditur, propterea quod dyscrasiae istae ad carcinoma formandum con-

iunctae separari et seiungi non semper possunt. Quemadmodum autem in quoque carcinomate haec vel illa dyscrasia semper deprehenditur, ita, certas quasdam dyscrasias certis quibusdam formis carcinomatosis respondere semper apparebit. Ubi e. c. affectio subfuit haemorrhoidalis, simulac degeneratio carcinomatosa evasit, fungus haematodes exorietur. Ita scrophulosam dyscrasiam osteosteotoma et sarcoma, gonorrhoeae dyscrasias certa degeneratio telae glandularum, quas dicunt gonorrhoeae scrophulas, herpetem fungus medull. sequetur. Eodem modo in nosocomio Turicensi plures homines polypis laborantes observavi, in quorum uno syphilis vestigia certo, in altero probabiliter conspiciebantur; alius antea Tinea capitis laboraverat. Carcinomati ventriculi plerumque scabiem antecessisse cognitum est. — Omnino maxime optandum et ad curationem perutile foret, si in quacunq[ue] forma carcinomatis dyscrasia eam procreans investigari posset, ita ut ex ipsa forma dyscrasia agnosceretur, quod in ulceribus fieri potest.

b) Ut carcinoma progignatur, locali etiam irritatione opus est. Quae quidem vel mechanica est, vel chemica, vel dynamica. Irritatio mechanica aut vehemens est et celeriter praeteriens, e. c. ictus, pulsus, punctio etc. — venaesectione infeliciter facta, arteriarum membranis lancetta violatis aneurisma exoritur — aut permanens, sed minus intensiva; si e. c. mammae castula nimis comprimuntur, cancer mammae procreatur. Chemicae irritationis exemplum est carcinoma ventriculi e continuo mali potus e. c. musti e pomis pressi, vini acidi, vini adusti peioris notae fructu exortum. Denique ut dynamicae irritationis exemplum afferatur, in chronico respirationis or-

ganorum catarrho fungus haemat. in pulmonibus formari potest. Itaque carcinomatosi morbi processus evolutio e pathica pendet lege: organon, quod in statu pathicae irritationis versatur, vim et facultatem tenet alios, qui in organismo sunt, morborum processus ad se alliciendi.

Contagio quidem carcinoma vacat, non vero miasmate. Cuius rei exemplum hoc est: si homines modo vulnerati cum pluribus aliis carcinomate laborantibus in uno loco claudebantur, gangraena nosocomialis in illis exorta est. Eandem propriam naturam, quam effluvia vaporea, ipsa etiam liquida secretionis producta carcinomatis produunt, dum in recens vulneratis partibus deletionem gangraenosam vel gangraenam nosocomialem produunt.

Carcinomata quamquam magis sporadica sunt, tamen certis temporibus certae formae praevalere, itaque epidemicae esse videntur. Ita hoc nostro tempore polyporum, fungi medull. et haemat. maior, cancri autem minor frequentia facta est. Nonnullae formae adeo endemicae esse videntur; sic in pago Tigurino, praecipue in iis regionibus, in quibus pomorum abundantia est ideoque multum musti e pomis pressi et vini adusti bibi solet, carcinoma ventriculi frequentissime apparet. Qua de re videantur ea, quae medicus e Schoenenberg, huius pagi vico, ad sanitatis collegium Turicense 1833 retulit. Eodem modo etiam metrocarcinoma, osteosarcoma, fungus haemat. nonnullis in locis endemica esse videntur.

DECURSUS.

Decursus pro forma, formae sede, individualitate, vitae ratione et externo irritante et aetiologico momento

est diversus. . Aliae formae satis celeriter, aliae tardissime decurrunt. Ceterum ea res in una et eadem forma ab ipsa quoque formationis carcinomatosae sede pendet. Etenim quo propius pseudoformatio organon centrale attingit, eo celerior est decursus. In individuis corpulentis, pinguibus, sed languidis tardior erit decursus quam in maris, irritabilibus, propterea quod in his universus organismus velocius morbo implicatur, et hectica febris accedit. Itaque victu et externo aetiologico momento decursus accelerari potest. In individuo severam diaetam servante et omnia, quae organum affectum irritare possint, vitante decursus tardior erit quam in individuo illas cautelas non observante. Sic carcinoma ventriculi vel uteri per severam diaetam et regimen plures annos perdurare potest, sed sine illis intra paucos menses decurret. Quo magis intensiva incitamenti vis est, eo celerior evolutio et decursus.

EXITUS.

I. *Reconvalescentia.* Interdum, sed raro, solae naturae vires carcinomati medentur. In fungo medull. et melanosi hoc nunquam observatum est. Sanatio, etiamsi arte efficitur, diversa est a) secundum stadium, b) secundum formam. Primo enim stadio, quo nondum vasa formata sunt, carcinoma, corrugata parte morbosa, sanatur. Secundo stadio autem, quo iamiam vasa exstiterunt, vel pseudoformatio partim diffluxura et moritura est, vel adeo in stadium tertium transit, nonnisi cicatricis formatione sanatio succedere potest. Facile est intellectu, sanationis processus in variis formis varius sit necesse esse. Itaque aneurisma aliter quam fungus medull., glandularum

carcinoma aliter quam melanosis etc. sanabitur. Ceterum accurate discernendae sunt vera et non vera sanatio. Certa quidem verae sanationis signa, sicuti in aliis morbis multis adhuc deficiunt; semiotica enim reconvalescentiae valde neglecta est. Illa signa si cognita essent, et prognosis et therapia magnopere adiuventur. Signa autem ea, quae morbum plane sanatum esse certius probant, sunt et topica et universalia.

A. *Signa topica.* Si locus, quem pseudoformatio occupabat, quacunque tandem ratione haec deleta vel arte remota fuerit, et simul regio illum locum circumdans in statu normali apparet, perfecta sanatio est verisimilis.

B. *Signa universalia.* a) mutatus aegroti color, anomali pigmenti decessio et normalis coloris cutis restitutio. b) Restitutio nutritionis processus in partibus normalibus, ita quidem, ut nutritio eodem quo ante carcinomatis formationem modo procedat.

Quae igitur topica et universalia signa ubi observantur, paene aliquo jure morbum plane sanatum esse conicietur, si vero desunt, sanationem non veram esse et morbum serius ocius in eodem, quo antea erat, loco vel alibi rursus erupturum esse putari potest. Momenta (scilicet ea, quae adhuc novimus) carcinoma, quod evanuisse videtur, revocantia, illa incitamenta irritantia sunt, quorum supra mentionem fecimus.

II. *Mors*, adducta a) feбри hectica, quae eo celerius vitae finem imponit, quo magis dissolutionis characterem induit; b) convulsionibus, quod raro accidit, in iis quidem formis, quarum sedes in nervorum systemate est; interdum etiam in metrocarcinome; c) hydropē, praeser-

tim in metrosarcomate, ubi utero vasa et nervos pelvis premente tumor oedematosus inferiorum extremitatum efficitur, cui tandem hydrops associatur. d) sanguinis profluvio et universali, qui inde oritur, torpore; vel sanguinis profluvium exiguum esse potest et mors organis ad vitam necessariis pressis adducitur.

PROGNOSIS.

Prognosis infaustissima est; pendet autem: a) a dyscrasia carcinoma progignente et a forma, utrum illa dyscrasia cognosci et removeri possit et plures dyscrasiae ad eam formam combinandam contulerint; b) a stadio; in primo stadio prognosis faustior quam in altero et adeo in tertio est; c) a sede et dilatatione mali; si pseudoformatio organon ad vitam necessarium occupavit, vel quo illud maius est, eo infaustior evadit prognosis; d) a gradu atrophiae in ceteris partibus; e) a participatione totius organismi; si febris hectica cum caractere dissolutionis accessit, parva spes vitae servandae restat.

THERAPIA.

Therapia in universalem et topicam dividitur; haec vero tum tantum locum habet, ubi organi degenerati sanatio localis fieri potest sine ullo totius organismi detrimento.

Therapia universalis. Longum esset sanandi rationes, quas medici contra carcinoma statuerunt, hic enumerare, quod ne necessarium quidem esse puto, quia adhuc nullius earum prosper successus apparuit et hoc loco minime de methodo normali disseri potest. Curanti medico non solum productum et desorganisatio spectanda, sed etiam

praesertim causa primaria impugnanda est. Itaque hoc loco de remedio universali sermo esse non potest propterea quod in variarum dyscrasiarum, quae carcinoma progignere possunt, unaquaeque sua propria remedia requirit. Si e. c. herpes carcinomatis causa est, antimonium prospero successu adhibebitur, dum mercurii usus perniciosissimus esset. Ubi syphilis causa est, mercurius multum proderit. In dyscrasia scabiosa sulphur efficax erit. Aurum muriaticum, quod novissimo tempore remedium universale contra carcinoma commendatum est, in formis carcinomatosis iis, quae a dyscrasia scrophulosa prodierunt, vires saluberrimas exercebit etc. Itaque therapia universalis non nisi succis purgandis et melioribus reddendis studet. Quare narcotica admodum laudata, quae non nisi dolores lenire valent, ex hac causa relinenda sunt, quod diutius adhibita reproductionem turbant.

Therapia topica. Eorum remediorum, quae in therapia topica adhibentur, praestantissima mihi videntur extirpatio (partis cancrösae recisio) et extinctio pseudoformationis vel per causticum vel per cauterium actuale. Carcinomatis quoque in primo stadio discutiendi periculum factum est, quod bene succedere non potuisse eum non offendet, qui mali istius naturam accuratius contemplatus est. Quae ad carcinoma discutiendum adhibita sunt remedia, illius evolutionem adeo maturaverunt. Si qui vero se tales tumores discussisse dicunt, de diagnosi recte constituta omnino vehementer dubitari potest. Ita praecepue scirrhorum compressio a *S. Yung* commendata, quae sensim admodum augetur, pluribus eius experimentis factis, non solum expectationes non explevit, sed etiam celerio-

rem mali decursum reddidit. Quae *Recamier* fecit conamina huic sanandi rationi magis quidem favere videntur, sed a nemine alio confirmata sunt. — Exstirpatio, si satis mature suscipitur et totus organismus carcinomatosi morbi processus nondum particeps factus est, in topica therapia omnibus ceteris remediis semper praestabit, quod exstirpando omnia aliena tolluntur et toti organismo minime vis aliqua nocens infertur. Caustici vero non nisi in formis carcinomatosi iis, quarum locus germinationis in externo corpore circumscriptus, non autem prope organa gravioris momenti situs est, vis salutaris apparebit; si e. c. ulcus carcinomatosum prope oculus iacens caustico Cosmetico vel alio quodam dirueretur, incommoda oculo sine dubio exorirentur, quod magna horum vehementiorum remedium pars semper resorbetur et ita toti organismo noceri potest. Caustica et delentia remedia sunt: pulvis Cosmeticus, Kali causticum, butyrum antimonii et cauterium actuale, quod ideo mihi ceteris praestare videtur, quia eo tantum, quantum velimus, extinguere possumus sine omni chemicae propagationis et communicationis metu. Iam vero topicam therapiam quamcunque sine therapia universali ante vel post illam inita, quae momentorum causalium rationem habeat, nunquam ad finem optatum ducturam esse, non est, quod pluribus exponam. Quum omnino, sicuti iam supra commemoratum est, certa verae et perfectae sanationis signa adhuc non innotuerint, post therapiam vel in morbose affecto vel in alio prope sito loco artificialem secretionem alere adiuvabit, ne gravius organon antea sanum malo corripiatur.

In conscribenda hac commentatione inaugurali hisce
usus sum libris:

I. Adam's Bemerkung über Krankheitsgifte, Phaga-
daena und Krebs, übersetzt aus dem Englischen, Bres-
lau 1796.

Fr. Mekel, patholog. Anatom., 2. Bd. 1. — 2. Abthl.
Halle, 1816 — 1818.

A. W. Otto, Lehrbuch der patholog. Anatomie, I.
Bd. Berlin, 1830.

A. Scarpa, neueste chirurgische Schriften. Aus dem
Italienischen von Erd. Thieme. V Thl. Leipzig, 1828.

E. Wenzel, über die Induration und das Geschwür
in indurirten Theilen. Mainz, 1815.

Von Walther, über Verhärtung, Scirrhus, harten
und weichen Krebs, Medullarsarcom, Blutschwamm, Te-
leangiectasie und Aneurisma per anastomasin, im Jour-
nal für Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. V. pag. 5.

I. N. Rust's Helcologie. Wien 1811. 2 Bde.

— — Einige Bemerkungen über das Wesen
der Geschwüre. Ein Beitrag zur Bearbeitung der Helco-
logie, in seinem Magazin für die gesammte Heilkunde.
Bd. Heft 3. N. 512.

I. M. Chelius, Handbuch der Chirurgie, Heidel-
berg, 1833.

A. Scarpa, über die Pulsadergeschwulst, aus dem
Italienischen übersetzt von Harles. Zürich, 1808.

THESES DEFENDENDAE.

1. Vera Schilleri sententia est: „Es ist der Geist, der sich den Körper baut”.
 2. Vita Galvanicus processus.
 3. Foetus omnibus evolutionis periodis solo liquore amnii nutritur.
 4. Placenta pulmo foetus.
 5. Superfoetatio in simplice utero esse non potest.
 6. Etiam morbus status naturalis est.
 7. Non est febris essentialis.
 8. Inflammatio conceptio.
 9. In intermittente arsenicum chinae praeferendum.
 10. Phthisis contagii immunis.
 11. Haemorrhagia saepe beneficium naturae.
 12. Therapia syphilidis, gonorrhoea excepta, per Mercurium in climate nostro optima apparuit.
 13. Operationis methodus aneurismatis a Philagrío et Antillo commendata praestat ei quam Hunter invenit.
 14. Punctio vesicae per anum reiicienda.
 15. Punctio hydroceles reiicienda.
 16. Castrato coniugium interdicatur.
 17. Castratus coitum fecundum exercere non potest.
 18. Inter divisiones laesionum quoad letalíatem optima est illa in absolute et conditionaliter letales.
-